

illo Hibernico mari undique pulsata, forma jacet inæquali, qua longior, ab Ortu in Occasum xx milliaribus, qua latior, vix xvii porrecta. Licet autem, ut habet Giraldus, *tellus arida & saxosa videatur, deformis aspectu & inamœna, terra Pebidion, quæ Menevia adjacet, exteriori qualitate similima, verumtamen interiori naturæ dote longe dissimilis. Est enim præcunctis Valliæ finibus triticeo germine incomparabiliter fecunda, adeo ut proverbialiter lingua Cambrica dici soleat, Mon mam Cymbry, quod Latine sonat, Mon mater Cambriæ. Quoniam aliis undique terris deficientibus, hæc sola gleba præpingui, uberique frugum proventu Cambriam totam sustentare consuevit.* Re etiam pecuaria hodie admodum est opulenta, lapidesque habet molares, & alicubi terram aluminosam, è qua alumen & calchanthum quidam non ita pridem conficere cœperunt. Verum cum res minus succederet, spe deposita ab incepto desisterunt.

Mona. Anglesey. Hæc est MONA illa Insula nobilissima, sedes Druidum antiqua, à Paulino Suetonio adorta & Iulio Agricola in Romanum imperium redacta. Imperante Nerone Paulinus Suetonius (ut scribit Tacitus) Monam Insulam incolis validam, & receptaculum perfugarum aggredi parat, navesque fabricatur plano alveo, adversus breve litus & incertum. Sic pedites, equites vado secuti, aut altiores inter undas, adnantes equis transfere. Stabat pro litore diversa acies, densa armis virisque, intercursantibus sceminis: in modum furiarum, veste ferali, crinibus dejectis, faces præferbant. Druidæ. Druidæque circum preces divas sublatis ad Cælum manibus fundentes, novitate aspectus perculere militem, ut quasi hærentibus membris, immobile corpus vulneribus præberent. Denique cohortationibus ducis, & se ipsi stimulantibus, ne muliebri & fanaticum agmen pavescerent, inferunt signa sternuntque obvios, & igni suo involvunt. Præsidium posthac impositum vicis, excisique luci scævis superstitionibus sacri. Nam cruore captivo adolere aras, & hominum fibræ consulere Deos fas habebant. Sed hæc agentem repentina totius provinciæ defectio ab incepto revocavit. Postea, ut scribit idem Tacitus: Iulius Agricola Monam insulam, cujus possessione revocatum Paulinum rebellionem totius Britannia supra memorari, redigere in potestatem animo intendit. Sed ut in dubiis consiliis, naves deerant, ratio & constantia ducis transvexit: depositis omnibus sarcinis, lectissimos auxiliarios, quibus nota vada, & patrius nandi usus, quo simul seque & arma & equos regunt, ita repente immisit, ut obstupescerent hostes, qui classem, qui naves, qui mare expectabant, nihil arduum aut invictum crediderint sic ad bellum venientibus. Ita petita pace, ac dedita insula, clarus ac magnus haberi Agricola.

Multis post sæculis ab Anglis devicta in eorum nomen concessit, Engles-æa olim Saxonice, nunc vulgo Anglesey, quasi Anglorum Insula dicta. Sed cum hanc insulam suo nomini & dignitati afferuerit Humfr. Lhuidus in doctissima ad eruditissimum Ortelium Epistola, non est cur hic aliquis operam nostram desideret. Hoc tamen at-

Britannia.

texam: Romanorum in Britannia jam divergente imperio, quidam ex Hibernia in hanc etiam irreperunt. Nam præter tumulos fossa circumdatos, quos Hibernicorum casulas vocant, etiam locus est *In hericy Gwidil* ab Hibernicis denominatus, qui duce Sirigi, Britannos eo loci fuderunt, ut Triadum libro memoratur. Nec ab Anglis solum, verumetiam à Norwegis graviter divexata fuit. Anno etiam reparatæ Salutis millesimo Æthelredi Regis classem totam insulam circumvecta hostilem in modum devastavit. Postea Hugones duo Normannici, alter Cestria, alter Salopia Comes gravissime afflixerunt, castrumque *Aber-Llienioc* ad coercendos incolas extruxerunt, verum Magnus Norwegus eo tempore ad hanc impulsus Hugonem illum Cestrensem sagitta transfixit, & insulam deprædatus discessit. Deinceps etiam Angli sæpius adorti sunt, donec Edwardus Primus in suam potestatem redegerit. Villas numeravit olim cccclxiii, hodieque incolis frequens est. Præmarium hodie oppidum censetur *Bellus Mariscus*, vulgo *Beaumarisb*, quod in Orientali parte Edwardus Primus in loco palustris construxit, & ob situm bello hoc nomine insignivit, cum prius locus *Bonover* diceretur, castrumque munivit, quod tamen nequam absolutum fuisse videatur, cui præest clarissimus vir *Richardus Bulkley* Eques auratus, cujus in me humanitatem cum hæc loca inviserem, non possum non gratissimo animo semper agnoscere.

Huic adjacet *Lhan-vays*, ædes quondam fratrum Minorum admodum celebris, quibus per benignos patronos Reges Angliæ se præbuerunt, tum ob fratrum qui ibidem egerunt sanctimoniam, tum quod (ut ex publicis regni actis loquar) ibidem sepulti fuerunt filia Regis Ioannis, filius Regis Danorum, nec non corpora Domini *Clifford*, & aliorum Dominorum, Militum, & Armigerorum, qui in guerris Valliæ, temporibus illustrium Regum Angliæ, occisi fuerunt.

Secundum à *Bello-marisco* oppidum *Newburg* censetur, Britannice *Rosfur*, quod decem mille passus ad Occasum abest, & ingestis arenis diu conflictatum pristini splendoris multum se amississe conqueritur. *Aber-fraw* parum hinc distitum, quod nunc notæ obscurioris, reliquis olim plurimum dignitate præluxit, utpote olim Regum Venodotiæ sive Northwalliæ sedes Regia, quique hinc Reges de *Aber-fraw* appellati. In extremo vero ad Occasum promontorio, quod nos *Holy-head*, id est, *Caput sacrum* vocamus, adsidet tenuis viculus, Britannice *Caer-Guby*, cui *Kibius* vir sanctissimus Sancti Hilarii Pictavenis discipulus, qui ibidem Deo vacavit, nomen fecit, unde frequens est in Hiberniam trajectus. Reliqua hujus insulæ vicis passim sunt aspersa, qui cum nihil memorandum præ se ferant, hinc in continentem transmittam, & Denbighensem agrum invisam.

Marianus.

Beaumarisb.

Lhan-vays.

2. pars Pat. anno 2. H. 5.

Newburg.

Aber-fraw.

Holy-head. S. Kibius.

De insulis Monæ adjunctis, vide inter insulas Britannicæ.

Numerantur in hoc Comitatu Paræciæ 74.

SSSS

DENBIGH.